PROGRAMM,

womit

zu der öffentlichen Prüfung

der Zöglinge

des

Friedrich-Wilhelms-Gymnasiums

am 3. April 1868

im Saale der Stadtverordneten-Versammlung

ergebenst einladet

Dr. F. L. W. Schwartz,

Director und Professor, Ritter des rothen Adlerordens IV. Kl.

Inhalt:

1. Quaestiones criticas ad Ciceronis Aratea scripsit Gustav Schulz.
2. Schulnachrichten vom Director.



Neu-Ruppin,

Dampf-Schnellpressendruck von Gustav Kühn.

1868.

Quaestiones criticae ad Ciceronis Aratea.

Nescio quo modo factum sit, ut in Ciceronis carminibus cognoscendis et interpretandis non tantum studium, quanto mihi digna esse videantur, his quidem temporibus viri docti consumserint. Etsi enim inter omnes, quorum judicium de iis rebus integrum est, satis constat, illum a natura ad poemata componenda mediocriter instructum fuisse, ideo laus ejus minui non potest, quum perraro factum sit, ut qui in republica bene fuerit versatus, idem in poesi aliquid consequeretur. Nihilo tamen secius tantopere ille de literis latinis meritus est, ut, quicunque iis dant operam, eorum esse videatur etiam in carmina ejus aliquam operam conferre; plane autem ea contemnere et quasi vix digna esse putare, quae legantur, haud scio an dedeceat eum, qui se philologum esse profiteatur. An quis summi illius magistri totum vitae cursum, quatenus quidem in literis et in excolenda oratione latina versatur, penitus perspicere potest, si quae adolescens ille scripsit, ea omnino aspernatur? Si quis autem paene omnes de carminibus illis aeque cum contemptione quadam judicavisse dixerit, ac ceteros ejus libros laudibus prosequantur, non est, cur eos refutemus, neque tamen intelligimus, quamobrem plane rejicienda sint. Si autem modo ex prima ejus aetate poemata exstarent, vires ingenii illum exercere voluisse neque laudem poetae consectari putaremus neque quemquem esse censeremus, qui ea studia, unde postea scripta illa elegantissima prodierint, non maxime probaret. An Platoni, si ejus carmina quaedam genuina, quae ille adolescens composuisse narratur, temporis opportunitate nobis servata essent, vitio verti posset, quod ea magno poeta non satis digna essent? Quis tam severus, ne dicam tam improbus esse potest, quin concedat philosopho illi clarissimo, ut per ludum et exercitationem ei arti adolescentulus operam dederit? Hoc idem de Ciceronis poematis, quae prima scripsit, dici potest. Jam vero is etiam aetate provectiore rursus ad hoc scripturae genus revertit (Epp. I, 9. „scripsi etiam versibus tres libros de temporibus meis.“ — Attic. I, 19. „commentarium consulatus sui Graece compositum“), neque est, quoniam ipse laudem poetae haud raro sibi sumere videtur, cur de his carminibus non severius judicemus[1]). Tum vero etiam laus nimia, quam aliquoties interpretationi tribuit carminis Arati Solensis,

[1]) De Divinat. I, 11: „Sed quo potius utar aut auctore aut teste, quam te? cujus edidici etiam versus, et libenter quidem, quos in secundo de consulatu Urania musa pronuntiat.“ — Cujus operis duodeoctoginta tum versus sequuntur. Jure igitur censet Plutarchus (Comparat. Demosth. cum Cicerone cap. 2): *ἡ δὲ Κικέρωνος ἐν τοῖς λόγοις ἀμετρία τῆς περιαυτολογίας ἀκρασίαν τινὰ κατηγόρει πρὸς δόξαν* cet. — Ad suam laudem item pertinent, quae (Tuscul. Disput. II, 11) de carminibus suis ipse pronuntiat.

quod Phaenomena appellatur, quam admodum adolescens perfecit, quodammodo nos impedire videtur, quominus mediocritatem ejus carminis excusemus. Ita (de natura deor. II, 41) alium quendam de eo dicentem inducit. „Atque hoc loco me intuens: utar, inquit, carminibus Arati iis, quae a te admodum adolescentulo conversa ita me delectant, quia Latina sunt, ut multa ex iis memoria teneam.“ Tum per quattuor capita loci ex eo carmine memorantur. Paene risum autem nobis captare videntur, quae (de leg. I, 1 et 2) ad laudem suam de poemate, quod Marius inscribitur, a se ante vicesimum aetatis annum versibus hexametris composito praedicat. Nihilo tamen minus propter tot tantaque Ciceronis in literis latinis merita Quintilianus lenius de ejus carminibus judicium ferendum sibi esse existimat. (XI, 1, 24: In carminibus utinam pepercisset, quae non desierunt carpere maligni:

Cedant arma togae, concedat laurea laudi;
O fortunatam natam me consule Romam;

et „Jovem illum, a quo in concilium deorum advocatur“ et „Minervam, quae artes eum docuit;“ quae sibi ille secutus quaedam Graecorum exempla permiserat.) Si autem Cicero eodem modo de aliis judicavisset, qui de patria bene meriti erant, non esset, cur inimici ejus non aliquanto mitius de carminibus illis judicavissent; quum vero proprias ac suas res gestas tam immodicis laudibus efferret, optatam omnibus malignis perstringendi sui[1]) occasionem dedit.

Nobis autem proposuimus de fragmentis quibusdam ex interpretatione ejus Arati Phaenomenon, cujus majora exstant fragmenta, disputare. Quod opus, quo coeli signa describuntur, apud veteres diligentissime legebatur, quamquam satis constat Aratum ipsum astrologum non fuisse, sed modo quae universe nota de coelo essent, quaeque ab aliis didicisset, ea artificiose composuisse atque ita perfecisse opus, quo ii quoque delectarentur, qui hanc scientiam palam profiterentur[2]). Itaque factum est, ut praeter Ciceronem etiam Domitianus imperator carmen illud ex graeco in latinum sermonem transferret, cujus libri auctorem permulti librariorum testimonio nixi Caesarem Germanicum fuisse parum considerate putaverunt; id enim falsum esse ac Domitianum esse scriptorem viri docti nuper ostenderunt. Cui operi haud multum tribuendum esse inter omnes constat, quum imperator ille poetae indole plane destitutus esset neque ex impetu quodam animi ad carmina facienda se conferret, sed quo hominum oculos in se converteret. Prooemium autem poematis illius non e verbo expressit, sed alterum excogitavit prooemium, quo quae dixit Aratus, aliis verbis ordine alio redderentur. Quumque totum opus nihil sit, nisi artificium quoddam rhetorum praeceptis exhibitum, dictio plerumque pura est neque sine arte perfecta, sed ea tamen, qua minus legentes oblectentur, quum ab incorrupta natura ac simplicitate longissime recedat[3]). Exstat praeterea ex quarto p. Chr. n. saeculo Festi Avieni Phaenomenon copiosa declaratio 1325 versus continens, quum carmen graeci poetae modo 732 habeat; cujus operis prooemium itidem ab Arato haud minus discrepat, ut paulo post viderimus. Ciceronianae vero interpretationis nihil servatum est, nisi fragmenta, quae pleraque in libris

---

[1]) De Ciceron. univers. operibus poetic. satis copiose disputavit Drumann Gesch. v. Rom, tom. V, pag. 219—223 et pag. 600—602. — Vide praeterea Heusde Cicero φιλοπλάτων. — [2]) Vide Cic. de Orat. I, 16. 9, qui locus etiam eo memorabilis est, quod Cicero similitudinem quandam intercedere inter oratorem et poetam demonstare studet. Quae tamen spinosius quam verius disputata videntur; nam revera non ita se rem habere exemplis satis multis explicatur. — [3]) Vide Bernhardy Grundriss der Römischen Literaturgesch. 1865, pag. 515.

ejus, qui sunt de natura deorum et de legibus, singula etiam apud Priscianum grammaticum, Lactantium, Victorem Pisanum, Aldum inveniuntur. Quae fragmenta omnia Grotius ex Arato supplere conatus carmen perpetuum effecit, quod a Ciceronis verbis longissime fortasse recedit, quum fere nihil sit nisi Arati interpretatio, cui fragmenta inserta sunt.

Incipit autem Aratus carmen, quo de sideribus agitur, dignissime verbis: *Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα.* Jovis enim erga homines praedicat benevolentiam et benignitatem, cujus rei testimonia dicit esse in mundo, quae oculis cernantur omnia; quamobrem necesse esse ejus semper grato animo recordemur; quod eo facilius nobis esse, quoniam artissime cum summo deo conjuncti simus, quum origo nostra ab eo repetenda sit (v. 5. *τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν).* A quo poematis initio dissentit Cicero (de leg. II, 3): Ab Jove Musarum primordia (— sicut in Arati carmine orsi sumus). Discrepat autem Aratus a plurimorum poetarum consuetudine eo, quod in totius hujus carminis capite Jovem et terrae et coeli dominum ac gubernatorem appellat eumque summis laudibus prosecutus (v. 1—14) demum ipsum et Musas invocat rogatque eas, ut sibi ad laudes coeli recte atque ordine celebrandas auxilium praebeant.

v. 15 — 19: *Χαῖρε πάτερ, μέγα θαῦμα, μέγ' ἀνθρώποισιν ὄνειαρ,*
αὐτὸς καὶ προτέρη γενεή· Χαίροιτε δὲ Μοῦσαι,
μειλίχιαι μάλα πᾶσαι· ἐμοίγε μὲν ἀστέρας εἰπεῖν
ᾗ θέμις εὐχομένῳ, τεκμήρατε πᾶσαν ἀοιδήν.

Non igitur initio Jovem Musarum patrem Aratus appellat, ne deorum quidem patrem eum esse dicit, ut saepe poetae faciunt. Qua de causa quaestio est, quomodo factum sit, ut Cicero ordiretur verbis: „Ab Jove Musarum primordia.“ An dignius sibi prooemium inveniendum esse censebat, quam quod Aratus carmini praefixisset? Quo tamen initio haud scio an nihil dignius aut aptius excogitari possit, quum poemate sequenti de majestate coeli tota narratio futura sit. Nihil antiquius igitur Cicero habere debuit, quam ut accuratissime vestigia Arati sequeretur. Hugo Grotius quidem adeo non se expedire ex ea difficultate potuisse videtur, ut Ciceronis verba simpliciter pro *ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα* poneret:

ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, τὸν οὐδέποτ' ἄνδρες ἐῶμεν
ἄῤῥητον· μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαί.
πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραί· μεστὴ δὲ θάλασσα
καὶ λιμένες. —

Ab Jove Musarum primordia: semper in ore
Plurimus ille hominum est; qui compita numine magna
Concilium virum complet pelagusque profundum
Et pelagi portus —

quo audacius verti non potest, quum prima verba non idem valeant apud Aratum, et intersit aliquid, utrum Conjunctivo „*ἐῶμεν*“ admoneamur, ut Jovis semper grato animo meminerimus, an hoc ita sese habere res tamquam explorata Indicativo pronuntietur. Nos praeterea etiam vitiose dictum esse censemus initio Musas a Jove creatas esse enuntiare, paullo post vero hoc deo celebrato una ipsum et illas invocare.

v. 15—18: Magne pater, magnum mortalibus incrementum,
Progenies prior et dulces ante omnia Musae,
Cuncti una salvete mihi et dum sidera canto,
Si jus fasque sinunt, longum deducite carmen.

Magis igitur nobis probatur prooemium, quo Germanicus usus est, qui ab Jove oriatur et iisdem fere, quibus Aratus, laudibus illum praedicet et tum etiam ab ipso solo petat, ut sibi in carmine perficiendo opituletur.

v. 1 et 2: Ab Jove principium magno deduxit Aratus
Carminis —

v. 15 et 16: Haec ego dum Latiis conor praedicere Musis,
Pax tua tuque adsis nato, numenque secundes.

Improbamus tamen „Musas“ pro „carmine“ vel „lingua“ dictas esse, qua notione, etiamsi saepissime apud poetas ita invenitur, tamen hoc loco non satis eleganter ac parum distincte poetam usum esse censeam, quod in iisdem versibus, quibus Juppiter invocatur, verbum „Musae“ ad poemata transferri vix posse videtur. Si autem Germanicus acumen ingenii consectatus consulto ita verba conjunxit, tantum abest, ut acumen cognoscamus, ut quaesitam esse putemus hanc dictionem et ex qua infucata argenteae aetatis doctrina perspiciatur. Neque tamen initio Musas a Jove creatas appellat; a quo si ortae sunt, iis non eadem potentia atque auctoritas tribui potest. Non recte igitur simul Juppiter et Musae invocantur, si ille pater earum paullo antea nominatur. Si vero Aratus a poetarum more dissentiens a Jove Musisque simul auxilium petit, tolerari id quodammodo poterit, quum nihil antea de propinquitate horum numinum memoraverit. Nolimus autem id spinosius disputatum videri; sed quum in elegantiae legibus tota haec ratio versetur, suo quisque judicio utatur. Sed nobis paullo accuratius Arati prooemium intuentibus v. 16 *αὐτὸς καὶ προτέρη γενεή*, ea ultima verba primo aspectu obscura videntur. Quid enim significari voluit poeta verbis *„προτέρη γενεή?“* Id non satis apparere et occasionem dari in diversas partes conjiciendi jam ex eo perspici potest, quod et veteres et recentiores interpretes de sensu verborum illorum parum inter se consentiunt. Jam scholiastae autem quattuor protulerunt rationes, quibus ea explicari posse censuerint. Ac primum quidem ita Titanes a poeta significari, quos prius Jove natos esse Hesiodus tradiderit; tum ita fortasse appellari posse fratres Jovis; tertium astrologos, qui ante se fuerint, Aratum forsitan intelligi voluisse; maxime denique veteres interpretes probaverunt hoc loco antiquos heroes invocatos esse, ex quibus, velut ex Orione et Perseo, sidera quaedam nomina duxissent. Jam vero si consideraverimus, ad quam ex iis quattuor interpretationibus Ciceronis verba „a Jove Musarum primordia“ referri possint, cum nulla ex his omnibus conspirare ea inveniemus. Nam quis dixerit: Tu Juppiter; Titanes, qui ante Jovem fuistis; vosque Musae, praesto mihi sitis et faciatis, ut digne coeli laudes celebrare possim! Quidnam in hoc contextu Titanes sibi volunt, qui a Jove sint in Orcum dejecti, quum coelum expugnare conarentur illumque regno expellere? Vide quam hoc sit absonum! Sed multo etiam minus ea interpretatio probari potest, si Ciceronis verba respicimus. Primum enim Jovem Musarum patrem appellare, tum ejus magnitudinem laudibus efferre, ipsum denique et Titanes summis poenis propter summa scelera contra Jovem commissa

affectos et tertium ejus ipsius dei filias invocare, nonne ea poetam produnt, qui omni elegantiae sensu omnino careat? Etiam altera interpretatio haud scio an nemini satisfaciat. Etsi enim Neptunum et Plutonem fratres Jove majores fuisse veteres narraverunt, intelligi vix potest, quomodo poeta ea de causa illos „*προτέρη γενεή*“ appellare potuerit. — Quis porro interpretabitur: Tu Juppiter, vos astrologi, qui ante me eidem huic studio operam dedistis, vosque Musae salvete cet. Necesse tum erat vocarentur Manes astrologorum, qui essent mortui. Sed quomodo eos poeta ita alloqui potuit, ut inter Jovem et Musas medii interponerentur? Praeterea quodnam ab iis expectabat auxilium? Quam denique inauditum est deos una cum hominum mortuorum animis invocare! — Pariter vero improbamus interpretationem Perseum, Orionem aliosque veteres heroes, qui in siderum numerum tollerentur, poetam intelligi voluisse. Tum *προτέρη γενεή* non esset genus ante Jovem ortum, sed quod ante Aratum fuit. Quae tamen itidem eo rejicienda videntur, quod heroes medium inter Jovem Musasque locum tenent et a poetarum more abhorret deos cum heroibus ita conjungere. Nonnulli autem, quo in numero etiam Grotius est, quum verba *προτέρη γενεή* in Jovem ipsum censerent referenda esse, verterunt: „Qui et ipse es et prima propago.“ Miror vero id placere potuisse Grotio. Sed quum dictum illud tantas habeat interpretandi difficultates, corruptum esse locum Buhlius et emendationem quaerendam existimabat ita, ut scriberet *αὐτοῖς καὶ προτέρῃ γενεῇ* et *αὐτοῖς* referri vellet ad *ἀνθρώποισιν* in versu antecedenti:

Χαῖρε πάτερ, μέγα θαῦμα, μέγ' ἀνθρώποισιν ὄνειαρ,
αὐτοῖς καὶ προτέρῃ γενεῇ —

„salve pater, magna admiratio, magna hominibus utilitas, qui sunt et qui ante fuerunt.“ Quod etsi paullo probabilius esse videtur, tamen causam non esse puto, cur ita textus immutetur, quum verba inde orta non ejusmodi sint, quae omnino nobis satisfaciant. Neque enim satis distincte eos qui nunc sunt homines poeta iis, qui antea fuerunt, eo modo opponere potuit. Equidem autem censeo eum id genus deorum significari voluisse, quod et ante Jovem Saturno regnante mundi imperium obtineret et postquam ille regno potitus esset ab hominibus coleretur. Sed utut res se habet, Ciceronis verbis „Ab Jove Musarum primordia“ interpretandi difficultas maxime augetur. Nam si Aratus initio de Jove solo locutus est, postea ejus et majorum et filiarum mentionem facere potest; sin Cicero statim primis verbis Musas Jovis significavit filias, postea vetustissimos illos deos inter Joves Musasque medios inserere non potest.

Sed redeamus ad ea, unde egressi eramus, et quaeramus, quid spectans Cicero prima carminis verba ita immutaverit. Si quis autem putaverit verba (de legg. II, 3): „sicut in Arati carmine orsi sumus,“ ita intelligenda esse, ut non necessario prima sint, haec interpretatio nimis callida sit et plane perversa, quum etiam postea non inveniantur; qua de causa opus est ea ad verbum intelligi. Magis etiam rejiciendum est hoc loco Musas pro carminibus sumere, ita ut „ab Jove Musarum primordia“ idem sit, quod „*ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα,*“ modo Conjunctivo „capiamus“ vel „sumamus“ suppleto. Quae interpretatio Arati verbis licet sit consentanea, tamen si locum accuratius contemplamur, plane improbanda videtur esse. Sententiarum enim contextu, in quo hoc fragmentum a Cicerone memoratur, ita vertere vetamur:

„Q. Ordire igitur, nam hunc tibi totum dicamus diem. — M. Ab Jove Musarum primordia (sicut in Arati carmine orsi sumus). — Q. Quorsum istud? — M. Quia nunc itidem ab eodem et a ceteris diis immortalibus sunt nobis agendi capienda primordia.“

Fieri censeo non posse, ut „Musarum“ idem valeat quod „carminum,“ et impedimur quominus verbo illi aliam notionem subjiciamus. Nam etiamsi tota sententia haec est: „Ut in Arato vertendo secundum illum poetam carmen a Jove orsus sum, nunc de legum origine disputaturus item a Jove ceterisque diis immortalibus ordiar“, tamen confusa esset et perturbata oratio, si in conjunctione verborum „ab eodem (Jove) ceterisque diis immortalibus“ verbum „Musarum“ non de diis intelligeremus. Disseruimus de re fere eadem jam paulo antea et ostendimus, quam non eleganter Germanicus in simili sententiarum contextu verbo illo ita uteretur. Sed concedamus isti scriptori eo modo verba inter se conjungenti; quis tamen putabit Ciceronem quo neminem elegantius scripsisse inter omnes constat, tale quid dicere potuisse?

Nos autem censemus Ciceronis locum corruptum esse. Satis enim ostendisse videmur verbum „Musarum“ esse ineptum, quod ordo sententiarum pertubetur. Praeterea etiam augetur loci difficultas eo, quod Aratus modo Conjunctivo *ἀρχώμεσθα* utitur *(ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα);* Conjunctivus vero aptus, qui Ciceronis verbis addi possit, haud inveniatur. Quid enim stultius esse potest, quam opinari scripsisse eum: „Ab Jove Musarum primordia capiamus.“ Quovis Conjunctivo autem suppleto alius sensus vix reperiatur. Indicativum autem si quis a Cicerone scriptum esse putaverit, equidem non perspicio, quomodo ei sint consentanea quae sequantur verba

τὸν οὐδέποτ' ἄνδρες ἐῶμεν ἄῤῥητον —,

quae mihi ejusmodi esse videntur, ut *ἐῶμεν* Conjunctivum adhortativum esse oporteat. Neque igitur satis accurate vertit Grotius:

Ab Jove Musarum primordia: semper in ore
Plurimus ille hominum est. —

recte autem Buhlius:

A Jove principium, quem ipsi nunquam mittamus
Infatum —,

nam adhortari homines volebat poeta, ne unquam Jovis obliviscerentur. Si autem locum ipsum, quo ea verba apud Ciceronem inveniuntur, attente consideraverimus viderimusque, quid spectans ille hujus versus mentionem fecerit, ne ita quidem sub ea, qua tradita sunt forma, nobis probari posse intelligemus ac multo meliorem sensum Arati ipsius enunciato exhiberi. Post illa ipsa enim verba declaratur (de legg. II, 4 et 5) leges non hominum ingeniis esse excogitatas, sed aeternam atque insitam animis eorum legem esse, quae, quamvis nunquam scripta sit, vim tamen habeat nos ad recte facta vocandi et a peccatis avocandi, et cujus origo ab ipso Jove sit repetenda. Contextus ergo sententiarum esset: Ab Jove Musae ortae sunt, Juppiter etiam legum auctor est. Sed quomodo Musae cum legibus ita inter se comparari possunt? Illarum enim pater habebatur; eae vero a summo deo modo hominum animis insitae sunt. Quum igitur pari modo et Musarum et legum Juppiter origo appellari non possit, sub-

tilitas desideratur. Magis autem probabilem totam hanc comparationem esse putamus, si Arati verba respiciuntur: „A Jove (in coeli descriptione) ordiamur, quod siderum ordo inde originem duxit; item a Jove incipiamus, quum legum rationem quaeramus, quarum auctor atque inventor Juppiter existimandus est.“ Quid plura? Mihi verbum „Musarum“ delendum esse videtur et scribendum „Sumamus.“ Nam ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα accuratissime verti potest verbis „Ab Jove sumamus primordia.“ Facile autem literarum similitudine ex verbo „Musarum“ exsistere potuit „sumamus.“ Qua mutatione facta omnis difficultas sublata videtur.

Nolimus autem quemquam hanc conjecturam rejicere eo, quod dicat Cicero „sibi itidem ab eodem (Jove) et a ceteris diis immortalibus agendi capienda primordia esse.“ Nam dii immortales hoc loco Musae esse non possunt, quum initio carminis, quo de coelo sideribusque agitur, certe non a Jove et a Musis ordiretur neque verba ipsa: „Ab Jove Musarum primordia“ concedant, ut eo modo locum interpretemur. Itaque justa causa non est, cur in conjectura nostra non perseveremus ac scribi nolimus: „Ab Jove sumamus primordia.“ Scripta exemplaria autem Ciceronis librorum, qui sunt de legibus, omnia vitiis gravissimis referta sunt; quumque etiam Madvigii sententia ex uno codice sumpta sint, mirari non possumus ea in hoc mendo omnia inter se conspirare.

Sed ad alterum Ciceronis fragmentum transeamus, quod in nullo quidem ejus libro invenitur, sed servatum nobis est a Prisciano grammatico, apud quem scriptum est lib. X, pag. 386 ed. Basil. 1568:

Quem neque tempestas perimet, neque longa vetustas
Interimet, stinguens praeclara insignia coeli. —

Aratus vero dicit v. 10 et 11:

Αὐτὸς γὰρ τάδε σήματ' ἐν οὐρανῷ ἐστήριξεν,
Ἄστρα διακρίνας.

Antea autem Jovis erga homines benevolentiam poeta praedicat, qui agriculturae regulas eos docuerit atque bonitatem agrorum, et ad quosnam fructus ferendos ager quisque aptus sit et quo anni tempore singula opera suscipienda, ut uberrimi possint fructus exsistere. Quae alias igitur veteres de Cerere dicunt, ea hoc loco Jovi tribuuntur. Interest tamen aliquid; neque enim dicit poeta deum ipsum in terram descendisse, ut quae ad agros colendos pertinerent, ea homines doceret, sed illum hoc fecisse eo, quod solem lunam ceteraque sidera in coelo collocaret; quorum ortum et occasum et varios cursus homines quum accurate consideravissent, facile optimam quamque agri colendi occasionem captare poterant. Qua de causa et Juppiter et Ceres docuisse homines agriculturam dici possunt. (Vide Schol. Theon.) Verba autem, quae scripsisse Ciceronem Priscianus tradidit: „Stinguens praeclara insignia coeli“ etiam apud Aratum inveniuntur, neque tamen ea, quae antecedunt: „Quem neque tempestas — interimet. Inusitata praeterea videtur notio verbi „stinguendi,“ quod idem valere debet ac στηρίζειν „statuere“ vel „fulcire.“ Verbum simplex „stinguere“ poetarum modo est (Lucret. 4, 1090 et 1,666) neque in soluta oratione

invenitur. Priscianus autem Ciceronem verbum *στηρίζειν* vertisse dicit hoc loco verbo „stinguere:" („Cicero tamen in Arato Stinguens participio usus est; quod a verbo stinguo nascitur"). Melius autem atque etiam versui consentaneum nobis videatur participium figens. Qua ex difficultate facillime fortasse sic nos expedimus, ut Ciceronem ipsum id sibi verbum finxisse putemus, quum in exercitationibus, quibus optimam orationis formam sibi comparare studeret, nova interdum se verba fecisse ipse confiteatur. (de Orat. lib. I, 34 §. 154 et 155: In quotidianis autem commentationibus equidem mihi adolescentulus proponere solebam illam exercitationem maxime, qua C. Carbonem, nostrum illum inimicum, solitum esse uti sciebam, ut aut versibus propositis quam maxime gravibus, aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria possem comprehendere, eam rem ipsam, quam legissem, verbis aliis quam maxime lectis, pronuntiarem. Sed post animadverti hoc esse in hoc vitii, quod ea verba, quae maxime cujusque rei propria, quaeque essent ornatissima atque optima, occupasset aut Ennius, si ad ejus versus me exercerem, aut Gracchus, si ejus orationem mihi forte proposuissem: ita, si iisdem verbis uterer, nihil prodesse, si aliis, etiam obesse, quum minus idoneis uti consuescerem. Postea mihi placuit, eoque sum usus adolescens, ut summorum oratorum graecas orationes explicarem. Quibus lectis hoc assequebar, ut, quum ea, quae legeram graece, latine redderem, non solum optimis verbis uterer, et tamen usitatis, sed etiam exprimerem quaedam verba imitando, quae nova nostris essent, dummodo essent idonea). Quae etsi de orationibus modo dicere videtur, tamen eum multo saepius in vertendis poetis Graecis censebimus coactum quasi fuisse nova verba invenire, quum in eo non modo singularum notionum, verum etiam versuum ratio habenda esset. Eloquentiae enim studio jam per tempus aliquod Romani operam dederant, ita ut magis excultam atque politam putemus jam tum fuisse oratorum dictionem, etsi nondum ad eam perfectionem elegantiae adducta erat, qua postea Cicero ipse omnibus palmam eripuit[1]). Minore igitur opera Graecorum orationes quam poetas eum latine reddere potuisse censeo, neque video, cur in carminibus interpretandis non saepius quam in orationibus, quum latinum verbum graeco consentaneum reperire non posset, fingeret sibi novum quoddam, quod aptius videretur. Sed si paullo accuratius duos versus a Prisciano traditos contemplati erimus, cum iisque, qui apud Aratum antecedunt, comparaverimus, omnino inter se discrepare intelligemus, quae uterque dicat. Arati enim verba sunt

v. 8—10: *λέγει δ' ὅτε δεξιαὶ ὧραι*
Καὶ φυτὰ γυρῶσαι, καὶ σπέρματα πάντα βαλέσθαι.
(Αὐτὸς γὰρ τάδε σήματ' ἐν οὐρανῷ ἐστήριξεν).

Sed quomodo ea consentiunt cum Cicerone? Locus ejusmodi est, qui libere in quamvis partem conjiciendi occasionem praebeat, ad quaenam verba prior ille Ciceronis versus referri queat. Jovem autem subjectum verbi „interimet" esse non posse ex contextu verborum satis

---

[1]) Cic. Tusc. Dispp. I, 3. At oratorem celeriter complexi sumus, nec eum primum eruditum, aptum tamen ad dicendum: post autem eruditum. Nam Galbam, Africanum, Laelium doctum fuisse traditum est; studiosum autem eum, qui iis aetate anteibat, Catonem: post vero Lepidum, Carbonem, Gracchos: inde ita magnos nostram ad aetatem, ut non multum aut nihil omnino Graecis cederetur.

manifestum est; alterum igitur substantivum masculini generis supplendum erit. Verba autem „Quem neque — interimet“ fortasse ex verbo „polus“ pendere possunt, quo a poetis saepe totum coelum significatur; neque tamen eo omnis difficultas tollitur, quod non ad polum, sed ad Jovem ipsum participium „stinguens“ necesse erit referamus. Praeterea etiam poeta coeli antea mentionem non fecit, sed in decimo versu demum dicit Jovem sideribus coelo affixis ostendisse, quo quidque tempore in agris optime perficeretur. Neque autem Germanici ex interpretatione, quum is alterum composuerit carminis prooemium, ullam utilitatem ad hunc locum explanandum capere possumus; neque Avieni copiosa declaratione primo quidem aspectu satis nos adjuvari fortasse quispiam opinetur. Grotius vero et verba „quem neque interimet“ in sententiarum conjunctionem adeo non inserere poterat, ut ea plane omitteret, et alteram fragmenti partem „stinguens praeclara insignia coeli“ immutandam sibi esse censeret, ita ut artius Arati verba sequeretur.

V. 7—12: quando sit terra ligoni
Aptior aut bubus monet, et quo tempore par sit
Aut serere aut saeptas lymphis adspergere plantas.
Ipse etiam in magno defixit sidera mundo
Ordine quaeque suo atque in totum providus annum
Astra dedit.

Sed si Buhlius censet Ciceronem, quum non semper ad verbum Aratum transferret, priorem illum versum, ut multos alios addidisse, equidem non intelligo, quid eo proficiamus, quum verba „quem neque — interimet“ non ejusmodi mihi esse videantur, quae ex uno versu, quem Cicero adjecit, sed ex pluribus atque majore sententiarum ordine, pendeant. Quomodo autem id fieri potest, quum non plures quam novem versus apud Aratum antecesserint? Quamvis enim sit generalior, ut ita dicam, ea interpretatio, tamen statim initio carminis tantopere Ciceronem ab Arato discessisse vix putaverim, si omnino vertere prooemium sibi proposuisset. Quae quum ita sint, viri quidam docti, quo in numero, ut modo vidimus, etiam Grotius est, dubitaverunt, num Prisciano fides habenda sit; quae dubitatio, haud scio an confirmata sit eo, quod etiam in multis aliis rebus grammaticum illum falsa tradidisse satis constat. Qua de causa nimiam auctoritatem, qua saepius ille utebatur, minuendam esse jam pridem viri docti censuerunt. Buhlius autem et Orellius causam non esse arbitrantur, cur hoc loco Prisciano diffidamus; quibus propterea assentior, quod ille non de re aliqua, in grammaticae regulis posita, quae erat dubia, proprium ac suum judicium pronuntiavit, in quo eum interdum fefellisse arbitror, sed quod credere vix possumus eum dicturum fuisse illud Ciceronis fragmentum esse ex Arateis sumptum, nisi res ita sese haberet.

Hoc loco non videtur alienum quaerere, num Arati ipsius prooemium ab eo poeta iisdem verbis, quae nobis tradita sunt, scriptum esse censendum sit. Quae quidem quaestio nemini inutilis videbitur, si audiverit Petavii exstare librum anno millesimo sexcentesimo tricesimo scriptum, cui nomen Uranologiae sit, ex quo cognoscatur, jam tum, quum nondum tam diligenter, utrum veterum scriptorum libri genuini essent, necne, disputaretur, quosdam fuisse, qui dubitandum esse censerent, num Aratus prooemium illud composuisset. Exstiterunt vero, qui contra dicerent a veteribus ipsis saepius versus hujus prooemii memorari, quae tamen testimonia

omnia, quod equidem sciam, Ciceronis aetatem non superant. Vixit autem Aratus fere ducentis annis ante illum[1]).

Sed si quae scripsit Germanicus intueor, dubitatio quaedam mihi nascitur, num ille exceptis verbis „ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα" Arati prooemium, quod quidem nos legimus, vertere sibi proposuerit.

Ab Jove principium magno deduxit Aratus
Carminis; at nobis genitor Tu maximus auctor;
Te veneror, Tibi sacra fero, doctique laboris
Primitias. Probat ipse Deûm rectorque satorque.
Quantum etenim possent anni certissima signa,
Quae Sol ardentem Cancrum rapidissimus ambit,
Diversasque secat metas gelidi Capricorni;
Quaeve Aries et Libra aequant divortia lucis;
Si non parta quies, Te praeside, puppibus aequor,
Cultorique daret terras? Procul arva silerent.
Nunc vacat, audaces in coelum tollere vultus,
Sideraque et varios coeli cognoscere motus;
Navita quid caveat; quid scitus vitet arator;
Quando ratem ventis, aut credat semina terris.
Haec ego dum Latiis conor praedicere musis,
Pax Tua Tuque adsis nato, numenque secundes.

Sed utut res se habet, interpretationem Arati ea verba esse dixerit certe nemo. Nonnulla etiam iis continentur, quae ille nondum in prooemio ipso, sed demum postea explanavit. Avienus vero, qui item a Jove oriatur:

„Carminis inceptor mihi Juppiter,"

ex duodeviginti apud Aratum versibus sex et septuaginta perfecit, ex quibus perpauci ejusmodi sunt, ut similitudinem cum eo intercedere appareat; velut v. 41 et 42.

isto
Praeceptore solum gravidis versamus aratris.

Etiam collocatio sententiarum plane alia est. Ut unum exemplum afferamus, dictum illud notissimum v. 5 *τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν,* de quo tanta doctrina Avienus disputavit, ut philosophus potius quam poeta nobis esse videatur, demum ex versu 46 declaratur. Occurrunt vero nobis quattuor versus, qui ad nostrum locum explicandum fortasse alicui nobis emolumento esse possint.

---

[1]) De Arati aetate optime nuper disputavit Köpke: de Arati Solensis aetate Quaestionum chronologicarum specimen primum. Guben Progr. 1867.

v. 21—24. Hic Chaos altum
Lumine perrumpit; tenebrarum hic vincula primus
Solvit et ipse parens rerum fluitantia fixit.
Hic dispersa locis statuit primordia justis.

Verbum fluitare proprie idem est, quod in aqua natare, vel. Cic. pro Sestio 20, 46: navem fluitantem in alto tempestatibus. Tum significat vacillare vel sine ordine ferri propria ac translata notione. Dicit igitur Avienus omnia initio perturbata et incondita atque tenebris circumfusa per mundi spatium lata fuisse; tum venisse Jovem, et solem ceteraque sidera in coelo collocavisse et omnibus rebus certum locum constituisse, quo nunc fixae et immotae perseverarent. Cui haec legenti non in mentem veniunt ea, quae de mundi origine disputavit Anaxagoras? Vide autem, quam accurate cum illis verbis Prisciani fragmentum conferri possit, si antea suppleverimus: polum statuit vel ordinem statuit. Stinguendi verbum autem quum inusitatum sit neque intelligatur, qua de causa Cicero non scripserit figens, amplius progredimur in conjiciendo et scripsisse illum paulo antea censemus polum fixit, atque tum orationis variandae causa alterum verbum, quo idem significaretur, quaesivisse; quum vero non reperisset, quod versui inseri posset, eum novum illud sibi excogitavisse.

Quae si recte disputata sunt, necesse est sit alterum de duobus, ut aut Avienus in declarando prooemio Ciceronis libro usus sit, aut uterque ex eodem fonte hauserit et prooemium sit interpretatus, quod non omnino cum Arato consentiat. Verba autem, quibus poeta ille totum carmen incepit, quum tam pulchra sint tantaque in iis sententiarum gravitas cernatur, multos ea explicare conatos esse existimo, ita ut alia quaedam hujus unius poematis prooemia exsisterent. Itaque factum esse censeo, ut et Germanicus ab Arato dissentiat, et Avienus in explanandis Phaenomenis aliud quoddam prooemium copiosius declaravisse videatur. Hoc idem nobis de Cicerone quoque judicandum erit, si quidem Prisciani testimonio confisi eum duos versus illos scripsisse putamus.

Quae quum ita sint, mirari desinamus fuisse quosdam, qui dubitarent, num Aratus ipse componeret prooemium, quod ejus carmini praefixum est. Nobis autem et illud et Prisciani fragmentum genuina esse persuasum est. Nihilo tamen minus in conjectura nostra scripsisse Ciceronem initio „Ab Jove sumamus primordia“ perseveramus, quum dubitari vix possit, quin futurum sit, ut postea ille Musas invocaverit. Id tamen ineptum esse, si eae antea Jovis filiae nominatae essent, satis nos antea demonstravisse arbitramur. Prima tamen totius carminis verba „ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα“ tanta gravitate dicta sunt, ut ea mutavisse censeam neminem.

Sed ad tertium fragmentum transeamus non ad conjecturam quandam proferendam, sed ut et quomodo converterit latine Cicero graecum poetam ostendamus, et ut accuratius declarare experiamur locum carminis difficiliorem, qui memoratur a Cicerone ipso in libro, qui est de natura deorum II., cap. 41:

Cetera labuntur celeri coelestia motu,
Cum coelo simulque noctes diesque feruntur.

Qua ex interpretatione perspici potest, quanta ille diligentia graeci poetae sensum latine reddere studuerit. Leguntur vero ea verba apud Aratum v. 19. sqq.

Οἱ μὲν ὁμῶς πολέες τε καὶ ἄλλυδις ἄλλοι ἐόντες
οὐρανῷ ἕλκονται πάντ' ἤματα συνεχὲς αἰεί.
αὐτὰρ ὅγ' οὐδ' ὀλίγον μετανίσσεται· ἀλλὰ μάλ' αὔτως
ἄξων αἰὲν ἄρηρεν· ἔχει δ' ἀτάλαντον ἁπάντη
μεσσηγὺς γαῖαν· περὶ δ' οὐρανὸς αὐτὸν ἀγινεῖ.

Addidimus autem tres versus, quum iis omissis locus non satis intelligi possit. Sed videamus singula.

Fuerunt, qui pro participio „*ἐόντες*" scribendum esse censerent *ἰόντες*, quae res non prius dijudicari poterit, quam, qui sensus sit verborum „*οἱ μέν*," perspexerimus. Censent enim alii poetam modo stellas, quae inerrantes[1]) vocantur, intelligi voluisse; alii eum de omnibus sideribus hoc loco locutum esse. Coelo autem globi formam esse veteres opinabantur, qui circum terram certa lege volveretur neque unquam ex cursu laberetur; cujus globi immotum axem esse, quum alio modo fieri non posset, ut idem semper cursus coelo teneretur. Ejus axis autem duos fines esse oportet, qui poli appellantur. (Schol. *πόλοι δὲ εἴρηνται διὰ τὸ περὶ αὐτοὺς τὸν οὐρανὸν στρέφεσθαι.)* Circum coeli axem autem omnes stellae volvuntur. Ex quibus inerrantes, etsi coelo affixae videntur, tamen diversis locis conspiciuntur atque interdum omnino ex conspectu recesserunt; nam quod cum coelo quasi cohaerent, etiam simul cum eo moventur *(οὐρανῷ ἕλκονται).* Grotius vero quum verba „*οἱ μέν*" non *διακριτικῶς*, sed *δεικτικῶς* posita esse existimet, quia ad substantivum antecedens v. 17 *ἀστέρας* referenda sint, non inter se contraria esse *οἱ μὲν* et *αὐτὰρ ὅγε οὐδ' ὀλίγον μετανίσσεται* censere videtur; quam interpretationem vanam esse arbitramur. Quis enim negare poterit eas sententias inter se contrarias esse, quum jam forma enuntiati „*οἱ μέν*" et „*αὐτὰρ ὅγε*" id ita se habere ostendatur? Concedimus nimirum *οἱ μὲν* ad *ἀστέρας* referenda esse, neque tamen causam perspicimus, cur non simul *διακριτικῶς* ad „*αὐτὰρ ὅγε*" posita sint. Nullam igitur utilitatem ex ea distinctione in toto loco explicando capere possumus. Videramus autem antea et *ἐόντες* legi et *ἰόντες*, quod alterum verbum veteres grammatici scholiastarum testimonio nixi melius esse arbitrabantur. Ii jam interpretetes, qui stellas inerrantes poetam significavisse censeant, in quibus etiam Grotius est, scribi volunt *ἐόντες*, quoniam illae loco se non moveant. Nonne vero fieri potest, ut de iis quoque participium *ἰόντες* usurpetur, quia simul cum coelo perpetuo se moventes quasi currere videantur? Pariter enim etiamnunc nos solem et oriri et occidere dicimus, etiamsi eum eodem semper loco immotum stare non ignoramus. Vis autem sensuum hominumque consuetudo in ea re tanta est, ut irrideantur ii, qui ex meliore scientia hunc dicendi morem mutandum esse censuerint. Quare utrum *ἐόντες* an *ἰόντες* scribamus nihil interesse videtur, quum quaerimus, quodnam stellarum genus poeta intelligi voluerit. Vide Schol. ad vers. 19. *Λέγει ὅτι οἱ ἀπλανεῖς ὁμοίως ἕλκονται, οὐ μὴν καὶ κινοῦνται· στηρίζονται γὰρ καὶ ἀναποδίζουσιν· οὐρανῷ δὲ ἕλκονται ἀντὶ τοῦ σὺν τῷ οὐρανῷ φέρονται. οἱ γὰρ ἀπλανεῖς πάντες, ὡς πρὸς αἴσθησιν, ἐπὶ μιᾶς ὑποκείμενοι ἐπιφανείας ὁμοίως συμπεριάγονται παντὶ μέρει τοῦ οὐρανοῦ ὁμοιοταχῶς, οὐ μὴν ἰσο-*

---

[1]) Cic. de nat. deor, II.; 2. 22.

ταχῶς· ὁμοιοταχεῖς μὲν γάρ εἰσιν ἀστέρες οἱ τὰς ὁμοίας περιφερείας ἐν ἴσῳ ἔχοντες χρόνῳ καὶ διανύοντες, ἰσοταχεῖς δὲ οἱ τὰς ἴσας περιφερείας ἐν ἴσῳ χρόνῳ ἔχοντες καὶ κινούμενοι. ὁμοιοταχῶς γὰρ κινοῦνται οἱ ἐπὶ τοῦ ἰσημερινοῦ τοῖς ἐπὶ τοῦ πόλου κειμένοις. οὐ μὴν γὰρ ἰσοταχῶς. Sidera vero inerrantia, quum in diversas coeli partes cursum teneant, etiam *ἄλλυδις ἄλλοι* ire dici possunt. Quae ut ita sint, quid tamen est quod verba ita interpretari cogamur? Nos vero id potius falsum esse censemus, quum, si tale quid de stellis inerrantibus Aratus pronuntiavit, etiam contrarium quoddam de errantibus stellis dici oporteat, quod non invenitur. Causam igitur non videmus, cur Grotii et Buhlii auctoritatem secuti *ἰόντες*, quae forma veteribus grammaticis magis probatur, in *ἐόντες* mutemus, et illud Beckero praeeunte recipimus, quod verbum etiam Ciceronem legisse puto, quum verterit: „Cetera labuntur celeri coelestia motu.“ Labuntur autem ea, quae ex altiore quodam loco cadunt in humiliorem, ut sidera, quum ad occasum sese inclinant. Praeterea etiam naves labi dicuntur in aequore, et natantes per undas et aves per auras et alia generis ejusdem. Cicero ipse autem (Univ. 10.) „stellas vaga et mutabili ratione labi“ dicit. Cujus verba si consideraverimus, eum non de singulo astrorum genere locutum esse inveniemus, sed de cunctis sideribus. Eundem vero sensum etiam Germanicus verbis *οἱ μέν* subjecit, quum interpretaretur:

Cetera, quae toto fulgent vaga sidera mundo,
Indefessa trahit proprio cum pondere coelum.

Quum autem vaga esse sidera dicat, eum *ἰόντες*, non *ἐόντες* legisse conjici potest. Pariter ab Avieno quoque (v. 77—92) simul de omnibus stellis disseritur.

Minime vero Orellio assentior, qui verba „celeri motu labuntur“ „sensu quodam generaliori et parum disctincte“ pro graecis verbis *ἄλλυδις ἄλλοι ἰόντες ἕλκονται* a Cicerone versa esse arbitratur. Nam *ἰόντες ἕλκονται* redduntur ab eo duobus verbis finitis labuntur et feruntur. Noctes diesque vero non verbum subjectum sunt ad feruntur, sed accusativi temporales pro Arati verbis: *πάντ᾽ ἤματα συνεχὲς αἰεί.* Verbum simul autem triplici modo conjungi potest. Primum enim fieri potest, ut connectatur: cum coelo simul — feruntur = *οὐρανῷ ἕλκονται*, quae scholiastes dicit posita esse *ἀντὶ τοῦ σὺν τῷ οὐρανῷ φέρονται.* Si vero ad verba noctes diesque refertur, ad vim valet augendam eorum, et latina verba simul noctes diesque consentanea sunt graecis *συνεχὲς αἰεί.* Nobis autem id verbum Cicero expressisse videtur e verbo *ὁμῶς*, quo ad unam omnes stellas perpetuo in coelo vagari poeta dici voluit. Verba autem celeri motu sumi possunt pro *πολέες τε καὶ ἄλλυδις ἄλλοι.* Nam si ingens stellarum copia conspicitur in diversas coeli partes palantium, quae certo tempore semper revertuntur, eae quasi festinare videntur neque unquam in cursu morari, id quod pariter et errantia et inerrantia sidera faciunt. Verba autem cetera coelestia contraria sunt polo, neque mihi ad antecedens aliquod vocabulum, velut astra vel sidera referenda esse videntur, quum jam per se optime intelligi possint. Fortasse vero quispiam dixerit, quum coeli axis stella non sit, fieri non posse, ut tali modo cum astris comparetur, ideoque melius esse, ut verbum „cetera“ hoc loco non artius cum verbo „coelestia“ conjungatur, sed modo vim illam habeat, quam saepius verbum *ἄλλος*, maxime apud Homerum; conf.

Odyss. I, 132. 133. *(Τηλέμαχος).*

πὰρ δ' αὐτὸς κλισμὸν θέτο ποικίλον, ἔκτοθεν ἄλλων
μνηστήρων.

Nostro autem loco verbum cetera ita declarari non posse existimo, quum, si sonum ejus respicimus, non plane idem sit, quod stellae, astra, sidera, etsi notio eadem habenda est. Sed et axis coeli quiddam coeleste est, et sidera, ita ut ea cetera coelestia poeta appellare posset, si illi opponere volebat. Qua de causa graeco dicendi more verba illa *διακριτικῶς* dicta sunt.

Ea autem, de quibus modo disputavimus Ciceronis verba paucis graeci poetae versibus intermissis quartum latini carminis fragmentum insequitur, quod eodem loco (de nat deor. II, 41.) invenitur. Ille enim, quum coeli majestatem praedicare neque casu quodam effici potuisse sidera demonstrar evellet, per quattuor capita fere nihil aliud, nisi versus ex Arateis sumptos memoravit. Quod etsi mihi quidem parum eleganter videtur fecisse, tamen gratum nobis esse debet, quum eo modo factum sit, ut pleraque illius carminis fragmenta servarentur. De iis vero alias disputare nobis proposuimus.

Gustav Schulz.



SCHULNACHRICHTEN.

I. Allgemeine Lehrverfassung.

A. Lectionsplan von Ostern 1867 bis Ostern 1868.

Sexta.

Ordinarius: Gymn.-Lehrer **Breitsprecher.**

Religion. 3 St. Lehrer *Kiesel,* im Sommer: Biblische Geschichte von der Schöpfung bis auf Josua's Tod. (Zahn §. 1—39.); im Winter: Biblische Geschichte von der Richterzeit bis Daniel. (Zahn §. 40—77.) — Ausserdem die 10 Gebote mit Erklärung. Kirchenlieder im Sommer: 877. 43. 800. 922., im Winter: 296. 940. 907. 635. 844. und je 15 Sprüche aus dem Ruppiner Spruchbuche.

Deutsch. 3 St. der Ordinarius. Der einfache Satz und die Redetheile mit besonderer Berücksichtigung der Präpositionen. Orthographische Uebungen (Correctur wöchentlich); beides nach Schwartz, Leitfaden f. d. deutschen Unterricht. Lesen, Wiedererzählen, Declamiren aus O. Schulz' Berlinischem Lesebuch I.

Latein. 9 St. der *Ordinarius.* Die regelmässige Declination mit den Hauptgenusregeln und die 4 Conjugationen, die Comparation der Adjectiva, die hauptsächlichsten Pronomina, die Cardinalia und Ordinalia, sowie die Präpositionen nach Moiszisstzig's Grammatik; Lectüre aus Bonnell's lat. Lesebuch I*). Häusliche Uebungen und wöchentliche Extemporalien; 1 St. von den obigen der *Director* als Repetitorium.

Geographie. 2 St. Lehrer *Kiesel,* im S.: Europa. (Physikalische Geographie); im W.: Die aussereuropäischen Erdtheile in ihrer oceanischen und hydrographischen Gliederuug nach Voigt; Kartenzeichnen mit Benutzung von Fluss- und Gebirgsnetzen.

Rechnen. 4 St. Lehrer *Kiesel,* die vier Species mit unbenannten und benannten Zahlen nach Fölsing's Rechenbuch Theil I. Wöchentliche Arbeiten oder Extemporalien, Uebungen im Kopfrechnen.

Naturbeschreibung. 2 St. Lehrer *Kiesel,* im S: Beschreibung der Pflanzen mit besonderer Berücksichtigung der Theile; im W.: Zoologie mit besonderer Berücksichtigung der Klassen.

Schreiben. 3 St. Lehrer *Kiesel.*

Zeichnen. 2 St. Zeichenl. *R. Schulz.* Zeichnen von gradlinigen Flächen und Körpern nach Modellen aus Holz und Draht mit Zugrundelegung der Formenlehre und einfacher praktischer Regeln der Perspective.

Singen. 2 St. Lehrer *Kiesel.* Einübung der Elementarkenntnisse, einstimmiger Volkslieder, einiger Kinderlieder von Taubert und 20 der gangbarsten Choräle.

---

*) In den lat., griech. und franz. Lesebüchern werden im Sommer die Sätze mit ungeraden, im Winter die mit geraden Zahlen gelesen.